

LEO P. P. XIII.

VENERABILIS FRATER SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Pergratae Nobis fuerunt litterae, quas accepto nuncio Assumptionis Nostrae ad Summum Pontificatum scripsisti, ut tuo tuique Cleri ac Fidelium nomine venerationis et obsequii sensus Nobis testaveris. Pergratum quoque ac jucundum Nobis accidit ex iisdem litteris agnoscere Te una cum tuis Fidelibus fervidas preces Sacratissimo Jesu Cordi constanter oblaturum ad implorandam Nobis coelestem opem, qua infirmitatis Nostrae conscii maxime indigemus. Haec sane, Venerabilis Frater, tuae erga Nos dilectionis ac studii luculentum testimonium praebuerunt. Illud autem peculiari Nostra commendatione prosequi gaudemus, quod Nobis significasti, nempe ita Te cum tuo Clero esse animo comparatum, ut non modo Vobis honori ducatis inconcussa fide huic Apostolicae Cathedrae adhaerere, sed etiam constanter curare, ut simili obedientiae et amoris vinculo Fideles isti Nobis jugiter conjunguntur. Haec egregia declaratio animorum vestrorum uti Nobis consolationem attulit, sic non dubitamus, quin vim habitura sit apud Deum, ut Ejus Vobis benignitatem et gratiam copiose conciliet. Interea Majestatem Ejus precamur ex corde, ut divitias misericordiae suae in Vobis ostendat, ac in auspiciis coelestium munerum, et in pignus sinceræ benevolentiae Nostrae Apostolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, cunctoque Clero, ac Fidelibus quæ praesides peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, 15 junii 1878. Pontificatus Nostri Anno Primo.

(Signat.) LEO PP. XIII.

Pro vero apographo,
M. J. WHELAN,
Secrius.